

responsum Sac. Congregationis in die *Policastren.*, quia multam habet ad casum nostrum affinitatem. Illius Cathedralis Canonici se exemptos esse putabant ab aliis praescriptis Missis praeter unam conventualem: *propter praebendarum tenuitatem et consuetudinem immemorabilem*, sed S. C. absolute respondit: *Omnino praedictos Canonicos teneri ad celebrandam utramque Missam juxta Rubricas Missalis Romani in praedictis temporibus, quacumque exceptione et consuetudine adducta non obstante.* Haud prodesse poterat Tiburtino Capitulo contraria immemorabilis consuetudo, argumentum deductum ex Caeremonialis dispositione, interpretatio rubricae Missalis, atque id genus alia, quibus se tuebatur, ne cogeretur ad onus canendi secundam Missam in aurora. Consuetudo, etsi immemorabilis, cui accesserit Ordinariorum tolerantia et acquiescentia, nequit sustineri et reprobandi abusus induit naturam, quia, quum laudabilis et rationabilis non sit, pugnat cum lege Ecclesiae universalis veluti pluribus possem demonstrare, nisi de re ageretur satis clara et explorata ac praecise, in casu a nostro non absimili, jam definita a S. Congregatione in *antedict. Policastren.* . . .

Satis haec essent ad propositi Dubii solutionem: verum id magis patebit, si expendantur rationum momenta, quibus se sustinere posse arbitrabantur Canonici Tiburtini. Utique Caeremoniale Episcoporum de hac secunda Missa non loquitur et bene quidem. Nam discrimen ponendum est inter *Missas Pontificales et simpliciter conventuales inter solemnissimam et minus solemnem. Prima autem et tertia solemnissimae sunt, secunda vero minus solemnem*: omnes sunt conventuales, quia cuncti Chori servitio addicti ad eas convenire debent: sed *prima* Pontificalis est ad libitum; *tertia* in praecepto seque ab

ea dispensare nequit Episcopus, nisi legitimo impedimento delineatur; cum Caeremoniale jubeat et praeceptiva dictione utatur: *omnino cantabit* (tertiam Missam) *Episcopus in die, lib. 2. cap. 14. num. 11*; *secunda vero* Capitulo importat onus, sed non Episcopo, qui eandem privatim celebrat: et Caeremoniale rationem habet Missarum, quae hac die pontificalibus adnumerantur, idcirco illam praeterit, quae simplex conventualis est et cujus celebrationi per Missalis Rubricas satis provisum est, quin ad eam celebrandam vel ab alio celebratae assistendum teneatur Episcopus. Cur autem de hoc aliquid disponere Caeremoniale debebat? Quid vero dicam de argumento altero, quod petebant Canonici ex distinctione rubricarum inter *praeceptivas et directivas*, ut inde concluderent ad secundam Missam in aurora non teneri, quia rubrica praeceptiva non est, ut ipsi perperam arbitrantur? Nolle talia audire a Sanctuarii Ministris, quasi pro lubitu liceat a sanctissimis illis regulis declinare, quae, licet positivum praeceptum non importent, sapienti tamen consilio datae sunt pro choralium functionum directione, observantia et implemento. Praeterea dictio illa rubricae, *dicitur*, quae arbitrarie, contorto sensu, ut directiva obtruditur, praeceptiva revera est, vel si placet, dabo eandem partim praeceptivam esse partim directivam. Praeceptum dat quoad obligationem trium Missarum conventualium certo ordine ea die distributarum; directionem vero praebet quoad designationem temporis, quo singulae absolvendae sunt: quamobrem vi praefatae rubricae ea in solemnitate omnino tres conventuales Missae cum cantu sunt celebrandae: ad tempus vero designatamque horam, qua singulae canendae sunt, eadem rubrica directiva est, quia locum relinquit

pro circumstantiarum diversitate alicui moderationi ab Apostolica Sede obtinendae. Explicit namque limitationem ponens: *vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur*, quae verba relationem habent ad horas, non autem ad onus celebrationis. Ita Gavantus: *ex dispensatione Apostolica: intellige de concessa post Concilium Tridentinum, quod prohibet, ne aliis horis quam debilis Missae celebrentur.* Neque alius rubricae sensus esse potest, si attendatur particula *vel*, quae disjunctiva est et necessario ad celebrandi horam referri debet, quae potest ex dispensatione variari, non ad ipsam celebrationem, quae nequit omitti. Sed de hoc sermo infra redibit; satis modo est, posuisse discrimen inter illud, quod in sensu rubricae cadit sub praecepto, et aliud, quod aliquam moderationem ab Apostolica Sede impetrandam admittere potest. Caetera, quae a Tiburtinis Canonici afferebantur, tam levia sunt, ne dicam inepta, ut potius praeterenda silentioque tegenda sunt, quam diluenda et refutanda. Nam coeli inclementia, anni tempestas, viarum asperitas, quae aliquando stratae sunt nive, aedium a Cathedrali distantia, tuendae valetudinis cura, deficientia temporis ad tres Missas privatim celebrandas, et his similia si attendenda essent, omnes fere Cathedrales ab onere secundae Missae in aurora forent absolvendae. Cum enim solemnem Nativitatis Dominicae memoria in media incidat hyeme, praefata incommoda et ubique occurrunt et omnibus communia sunt. Porro hujusmodi circumstantia aliquam possunt indulgentiam invenire quoad horam, non autem quoad Missae onus adimplendum.

Hac indulgentia favori Cleri Tiburtini usum fuisse SSimum D. nostrum, firma tamen rubrica, mox videbimus. Verum, quod attinet ad Sac. Con-

gregationis Responsum, cum quaeretur: an liceret vigore consuetudinis secundam Missam in aurora omittere? optimo jure eadem declaravit: non licere, tum quia id erat contra apertum rubricae praescriptum, tum quia in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, quae habent onus quotidiani servitii, tot conventuales celebrandae sunt Missae, quot eadem rubricae canendas jubent, veluti supra notatum est. Enimvero SS., relatione audita, adprobando confirmandoque in omnibus praefatum Sacrae Congregationis Responsum sartam tectamque voluit rubricam ea in parte, qua, juxta allatam distinctionem, *praeceptiva* est: verumtamen *attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus*, moderando eandem rubricam alia in parte, qua est *directiva*, indulsit, *ut secunda Missa, quae in aurora dicenda esset, protrahi posset ad unam alteramve horam post Solis ortum, dummodo tamen Missa cum cantu celebretur, omnesque intersint, qui ad Chori servitium tenentur.*

Per hujusmodi autem Pontificium rescriptum magis magisque confirmatur rubricae sensus quoad postrema illa verba: *vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur*, quae referuntur ad horam ex Apostolica dispensatione in aliam commutandam, non autem ad onus secundam hanc celebrandi Missam. Et revera, si quod est ex hisce tribus Sacris, prae aliis, stata hora persolvendum, illud profecto est, quod post mediam noctem, juxta rubricae praescriptum, peragi debet, ad recolendam temporis memoriam, quo Redemptor noster in Bethlechem Judae natus est: nihilominus non ubique idem servatur, sed nonnullis in Ecclesiis ex privilegio, antequam dies civilis initium habeat, ea celebratur Missa, non obstante Constitutione: *Sanctissimus etc. a S. Pio V. evulgata die 29. Martii 1566,*

potius perspicua ex adverso perstat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus Armeni Ritus Romae degens facultatem sibi expetisset celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas ejusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romae commorantes protenderetur, propositis hujusmodi precibus in Congregatione Sacrae Inquisitionis coram Consultoribus decimo tertio Kalendas Martii 1710 relatisque iterum in Congregatione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii negativum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demanda fuit provincia scribendi ea de re scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese praestiterit proclivior, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quae ex aedibus Sacrae Inquisitionis afferri ad Nos volumus, et hoc fuit quidem dubium tunc propositum: *An dicto Archiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis Domini more Latinorum hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ritus in Urbe commorantes?* hoc vero rescriptum: *Quoad petitum Indultum celebrandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum respondendum esse: negative.*

Praetereunda nec sunt, quae in praefatis Literis Nostris §. 45 a Nobis afferuntur. Cautum fuerat jam inde ab anno 1674, ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis caeterisque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt praefati Armeni, ut habita sub annum 1699 iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Kalendarii Armeni Liburnensibus relinqueretur, quousque ad novum recipiendum sese accommodassent

et quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armeni sua pro ratione voluntas, respuunt Latinum Ritus, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud justitiae consonum: cumque porro Latinum Ritus ter offerendi Sacrificium Natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile captu est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

Reliquum illud est, quod asseritur in Literis Pisani Archiepiscopi, Armenae nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres Missas a multis per Orientem Armenis Sacerdotibus Catholicis ejusdemque Ritus Missionariis celebrari; idque Nobis verisimile videtur, at nihil inde in rem praesentem. Beatus Bartholomaeus Bononiensis ex Fratrum Praedicatorum familia fuit a Joanne XXII. Pontifice in Armeniam ablegatus sub anno 1318, et ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus exindeque translatus ad Naxivanum Archiepiscopatum, quo ipso tempore praefatus Beatus Bartholomaeus celebri illa Missionem fungebatur, aderat in Armenia Isaias quidam Schismaticus trecentis septuaginta discipulis praepositus. Mens ipsi inerat recta, et motus fama sanctitatis B. Bartholomaei edoctusque ab ipso Catholicae Fidei veritatem, se ei socium adjunxit suis omnibus discipulis secum adductis: tuncque contigit ut institueretur Congregatio Fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicanum instituti emissaque Professione vitae Regularis sub Regula S. Augustini et Fratrum Praedicatorum Constitutionibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani *de consensione Armenae Ecclesiae cum Romana part. 1. pag. 508. et seq.*, atque elucubratis *tom. 2. historia virorum illustrium Dominicanorum Ordinis*, Auctore Patre Tournon

lib. 1. pag. 108. et seq. Istaec Congregatio subjecta fuit Magistro Generali Dominicae Familiae ab Innocentio VI. sub annum 1356, uti colligere est ex ejus Literis in Dominicanum Bullarium relatis pag. 148. et in generalibus totius Ordinis Comitibus habitis anno 1583 nova haec Congregatio ad Regularis Provinciae gradus, jura et honores attolli coepit. Cum autem Isaias discipuli unam noscerent Armenam Linguam, praeterea nullam et plenam, ceteroquin cum Dominicanae Familiae Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praecitati Historici, ut Regulae, Statuta, Breviarium et Missale Ordinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis instetisse Patres Armenae Provinciae Ordinis Praedicatorum, quo sibi liceret, typis mandare sua Breviaria ac Missalia e Latino in Armenum idioma translata, annuitque precibus Congregatio Romanae universalis Inquisitionis habita octavo Idus Septembris 1713, deputatis emendatoribus sive praeli typici praesidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in hujusmodi casibus alias contigisse constiterat, probavitque omnia Summus Pontifex in Congregatione proximo die septimo videlicet Idus Septembris ejusdemmet anni habita.

Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam Linguam versum fuerit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatae Missae Natalitio Christi die celebrari solitae, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam Armenos et Missionarios videntes tres Missas a Patribus Dominicanis celebrari Natalitio Christi die coepisse et ipsos tria Sacrificia offerre, Dominicanum Missali utentes in Armenam

Linguam reddito: quoties autem ita se res habeat, quod verisimilius est, quisque sanae mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solita constitutum, nec eo juvari ullaatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes, eo quod tres Misae in Missali Dominicano adnotatae, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam Linguam versae, nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Simillimum nobis suppetit exemplum ex Missa Latina Patrum Dominicanae Familiae in Graecam Linguam versa juxta indultum a Bonifacio IX. datum Maximo Constantinopolitano Dominicanae Familiae viro relatumque *tom. 2. Bullarii Dominicani pag. 370.* Ea quippe Dominici Fratres quidam, nullatenus autem Graeci in Sacrificio offerendo uti possunt.

Constitut. Bened. IV. die 29. Decb. 1755.

(Bull. r. t. XIX. p. 187.)

Cf.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C. C.).

β) Celebrandae in Oratorio privato.

Vd.: *Oratorium priv.* (num tres celebr. in Orat. priv.?)

γ) Num Obligatio est, tres Missas celebrare et audire in Nativit. Dom. et quam miss. Sacerdos legere teneatur, si unam tantum celebrat?

Vd.: *Oratorium priv.* (num tres celebr. in Orat. priv.?)

h) Votiva infra oct. Nativ. D.

Vd.: *Missae de s. cruce; Missae vot. de B. V. M.; Missae vot. priv.* (dies imp.)

8) Officium.

(Cantus et tempus.)

Vd.: *Matutinum* (tempus); *Nativit. Dom.* (Commun., decr. Pii VII. die 25. Junii 1819).

Sulmonen.

Matutinis Horis solemniter persolutis in nocte Nativitatis Domini Rmus Episcopus Sulmonen. in sua Cathedrali primam celebrat Missam Pont. ad praescriptum Caerem. Ep. lib. 2. cap. 14.; Laudes, quae post hanc Missam pari solemniter ritu cantari debent, ut in eodem Caerem. capite, juxta Ecclesiae illius vigentem consuetudinem sine Cantu a Canonicis persolvuntur, postquam Episcopus, absoluta Missa, Episcopium repetiit: hinc Episc. a S. R. C. declarari postulavit:

1. An haec consuetudo servari possit?

2. Et quatenus negative, humiliter supplicat, quod attendita Cathedralis distantia, horis nocturnis et tempore hyemali indultum sit Canonicis inter Missarum solemniter Laudes sine cantu solemniter alternare, prout creditur concessum fuisse aliquibus Religiosis et Ecclesiis, et eo modo Missam complere, quo in Vesperis decantandis Missa perficitur in Sabbato S. Sacra eadem R. C., exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto pando typisque vulgato perpensisque regionis ac tempestatis rigore, nec non Cathedralis illius a Civitate distantia ad relationem Emi et Rmi D. Card. Bardaxy Pontis rescribendum censuit:

„Negative, sed attentis peculiaribus circumstantiis, in casu, de quo agitur, consulendum SSmo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam.“ Die 31. Martii 1821.

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione, „S. S., attentis expositis, in casu, de quo agitur, benigne annuit pro gratia dispensationis.“ Die 3. Aprilis 1821. n. 4582.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ritus omnes servandi sunt ne-

dum quoad substantiam verum etiam quoad modum, formam et ordinem, quo praescripti leguntur in Caeremoniali Ep. Quamobrem in nocte Natalis Domini, prima Missa absoluta, Laudes etiam cantari solemniter debent; nec satis est alternatim dumtaxat easdem recitare. Non diffiteor, ne ullum quidem verbum occurrere in antiquis praefati Caeremonialis editionibus de cantus solemnitate: verumtamen in nova, quae, Pont. Benedicto XIII., adornata, emendata et aucta e Romanis Typis anno 1729 prodiit, *capiti 14. libri 2. additum* fuit, quod sequitur, videlicet: *In Laudibus tantum, quae post Missam solemniter cantari debent, serventur omnia, quae in superiori capite 7. hujusmet libri praescripta reperiuntur.* Unde patet, satis non esse, alternatim in Choro Laudes recitare, sed omnino cum cantu ad praescriptae regulae formam esse persolvendas. Verba enim illa: *solemniter cantari debent*, non in facultate rem ponunt, sed absolutum praeceptum important, veluti pluries a S. R. C. declaratum fuit, et novissime in Civitate. 20. Maii 1826. Etenim attendendae sunt diversae dictiones, quibus utuntur Caeremonialis, Ritualis, Missalis, Breviarii Rubricae, pro rite persolvendis Horis Canonicis aliisque ecclesiasticis functionibus agendis. Dicitur *debet*, quae saepe occurrit in praefatis Ritualibus libris, praeceptiva semper est, secumque fert positivam obligationem: facultativae vero sunt dictiones aliae, *congruit, potest, convenit, decet*, et his similes. Idcirco S. C. directe respondens quaesito regulae conformare se debuit, quin admitteret consuetudinem, quae obtinuisse in Cathedrali Sulmonen. ferebatur, legendi Laudes sine cantu. Sed quoniam ex ecclesiasticis aut civilibus legibus nulla ferme est, cujus observantia, peculiaribus attentis circum-

stantiis, nequeat a potestate habente quandoque moderari, et Apostolica Sedes in iis, quae circa modum potius versantur, quam circa rem praecipuam, nonnunquam in casibus particularibus aut dispensationem aut moderationem indulgere consuevit; ideo eadem S. C., postquam ad legis formam responderat, simul addidit: *Sed in casu consulendum SSmo pro Apostolica dispensatione.* Urgebant quippe rationes plurimae ab Episcopo enumeratae, quae indulgentiae viam aperiebant. Tales sunt nimia Cathedralis a Civitate distantia, localitas, cum eadem in montanis sit posita, aëris et frigoris inclementia, quae multum affert incommodi brumali tempore et concubia nocte, onus landem, quo tenentur Canonici et reliqui de Clero, prima luce a propriis longe dissitis habitationibus ad Ecclesiam redire pro aliis Horis persolvendis, secunda et tertia Missa solemniter ritu celebrandis. Hisce attentis circumstantiis, opportunum visum est in hoc speciali casu, aliquid relaxari posse de legis rigore: quemadmodum S. S., licet in casu diverso, sed iisdem fere de causis, relaxavit favori *Capituli Cathedralis Boven.*, eidemque indulgens, ut hyemali tempore Canonici et Clerici ejusdem servitio addicti, nimirum post Festum omnium SS., usque ad Majorem Hebdomadam exclusive, possent semel in die ad Ecclesiam accedere, ibique tam Matutinas quam Vespertinas Horas nec non Conventualem Missam sine interruptione persolvere, ita tamen, ut Completorio post meridiem finis imponatur. Nam, licet jure Ecclesiastico statutum sit, ut debitis distributis horis in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis diversae Officii partes peragantur, nihilominus, expositis circumstantiis attentis, aliquid Apostolica Auctoritate remittendum, aliquid visum est indulgendum.

Cum autem praefato responso ad primum ex propositis dubiis Episcopi precibus satisfactum fuerit, non erit immorandum in secundo. Etenim hac in petitione supponit Episcopus aliquibus Religionibus et Ecclesiis concessum fuisse nocte Nativitatis Domini inter Missarum solemniter Laudes sine cantu alternari et eo modo Sacrum compleri, quo fit in Vesperis decantandis post Communionem in Sabb. S. At ego non injuria puto perperam ab ipso adhibitum verbum: concessum, et quod revera in aliquibus locis ex more fit, ex Apostolica dispensatione fieri credidisse, id est, quod speciatim indultum aliquando fuisse, probari nunquam poterit. Forte enim digitum intendere voluit in consuetudinem, quam ea nocte viguisse narrat Martene de *Antiqu. Eccl. Rit. tom. 3 cap. 12 n. 26* in Remensi, Parisiensi, Turonensi aliisque bene multis Galliarum Ecclesiis, in quibus cantabantur Laudes ante Orationem, quae in Missa dicitur *Post-communio*, ne populus, expleta Missa, statim ab Ecclesia discederet, non adhuc cantatis Laudibus, quae cum Matutino junguntur, eique dant complementum: ejusdemque ritus meminit Durandus in *Rationale etc. lib. 6 cap. 13*. Aliis tamen in Ecclesiis, ut fert *Micrologus cap. 34.*, Missae finem non dabat versus: *Ite, Missa est*: bene vero alter: *Benedicamus Domino, ne populo quasi licentiam abeundi infra matutinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam iterum, concrepantibus signis, incipere solemus.* Forte etiam rationem habere intendit moris, qui adhuc obtinet apud Religiosos aliquos ac praesertim Carmelitas antiquae observantiae et S. Dominici Institutum profitentes. Sed haec ac id genus aliae consuetudines alienae sunt a moribus Ecclesiae Romanae. Usus, qui adhuc viget in aliquibus Regionibus et Coenobitarum Ecclesiis,

qua omnia privilegia sublata sunt antea quibusdam Ecclesiis concessa illam celebrandi ante mediam noctem. Praeter Pontificium Sacellum, in quo, una saltem hora ante civilis diei initium, peractum est Sacrum, Venetiis non una est, sed plures sunt Ecclesiae, in quibus idipsum fit; quod non nisi vigore posterioris privilegii derogatorii Pianae Constitutionis fieri posset. Vide-
ris Benedictum XIV. *de Synodo Dioecesa-
nana lib. 6. cap. 8. num. 9*, Lucium Ferrar. *verb. Missa art. 5. num. 51.*, Tetamum *Tract. 1. lib. 3. par. 2. ad 25. Decembris num. 45. et seq.* Praeterea in Patriarchalibus et Collegiatis Urbis necnon aliis in Ecclesiis haec Missa protrahitur ad plures horas post mediam noctem, ita ut celebretur illucescente jam die. Rem dico omnibus manifestam. Itaque, si in aliquibus Ecclesiis prima Missa in nocte celebranda vel anticipatur vel protrahitur Apostolici vigore indulti, multo magis, attentis peculiaribus circumstantiis, aliquo privilegio gaudere potest secunda Missa in aurora, quae longe minorem solemnitatem habet, quam illa post mediam noctem celebranda, etiamsi ratio haberi nolit sublimissimi mysterii, quod in hac prima Missa prae aliis recolimus. Nec praeterendum, quod non desunt, qui volunt secundam hanc Missam in aurora non ubique antiquitus obtinuisse, sed Romae extra ordinem ob id tantummodo celebratam esse, quod in Urbe haberetur Ecclesia S. Anastasiae, cujus Festum in eundem diem Natalis incidit etc., prout latius apud Meratum ad Gavantum *part. 4. lit. 3. num. V.*

Vd.: *Missae* (Duae non sunt etc.; decr. Bened. XIV.)

Utrum Matutin. Nativ. Dom. prima vigilia Noctis et circa auroram prima missa cantari possit? Vd.: *Nativit. Dom.* (Officii temp. decr. n. 4656).

Quot missas et quam, si unam tantum celebrat, Sacerdos hac die celebrare possit et an cum vel sine intervallo, et quot populus audire tenetur? Vd.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C. C.). *Utrum liceat Sacerdoti post missam primam celebratam communicare laico modo?* Vd.: *Missa* (interrupta per mortem Sacerdotis, nota ad finem).

e) Utrum et quot in Oratoriis privatis celebr.?

Vd.: *Orat. priv.* (decr. de die 20. Jan. 1725; *Constit. Bened. XIV.* §. 18; *Bull. Leonis XII.* die 7. Decbr. 1824; *Bull. Pii VIII.* die 29. Jan. 1830; *Discursus Secretarii S. C. C. etc.*)

f) Ritus.

In Natali Domini in tribus missis quaeritur: an post sumptionem Sanguinis eundo et redeundo ad medium altaris sit facienda genuflexio et vertendo se Celebrans ad *Dom. vobiscum*, vel ad dandam benedictionem debeant renes vertere ad altare, cum (ut creditur) species vini non sint dissicatae in calice? S. C. resp.: Serventur rubricae missalis rom. de ritu in celebr. missa §§. 11 et 12. n. 2.; n. 3120 ad 9. die 20. Julii 1686; n. 3486 die 2. Aug. 1698.

g) Tres celebrandae.

a) Celebratio in Eccles. orient. et occidentali.

Benedictus PP. XIV.

ad

Archiepiscopum Rhedonens.

In superiori ante proximum ad Nos habito accessu retulisti, Te, in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Ligurno in Portu commorantes Sacro Natali Domini die tres unumquemque Missas in nationis suae templo celebrare, non praetermississe opportunas

ad Pisanum Archiepiscopum dare literas, ut certior fieres, num res, prout ferebatur, se haberet, et si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia, tibi quae fuisse a memorato Praesule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Ligurnensi suae gentis Ecclesia tres Missas Natalis Christi die, idque in usu primum ea in Ecclesia fuisse positum a duobus Missionariis Parochis sub annum 1725, exindeque semper rem eodem modo transactam, ac insuper ejus gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos ejusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus nostra ipsa expetebas jussa de relinquenda vel interdicenda trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalis Christi die, Ligurni in gentis suae Ecclesia fieri solita.

Pervetustus est atque universim in Latinam Ecclesiam receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalis Christi die offerendi; verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat praefati Ritus vestigium, ne verbum quippe de eo in Liturgiis Graeco-Arabicis Melchitarum nec in Syriacis Chaldaeisque neque etiam in reliquis Copthorum, Armenorum, Graecorum atque Ruthenorum, qui Graecos sibi ritus adsciverunt. Patres Basiliani Cryptae Ferratae, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sunt, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736 in Monte Libano, cui praefuit Joseph Simonius Assemanus Praesul, qui jussu Clementis XII. Praedecessoris nostri eo praefectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit, haec leguntur cap. 13. *de sacrosanctae Missae*

Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini ter Missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus et statuimus: non quod morem illum S. R. E. omnium Ecclesiarum matris ac magistrae condemnemus: absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus, sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.

Haec Synodus praevio opportuno examine fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata. Cumque ex memorata Synodo aequae ac ex praedictis Liturgiis Orientalibus innotescat offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natalis Christi die Sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesia, jam locus fit regulae latius per Nos firmatae in Nostris Encyclicis Literis datis octavo Kalendas Augusti anni 1755*) ad Missionarios per Orientem praeloque Congregationis Propagandae Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum ibidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est sacris Canonibus sancitum, Constitutionibus Apostolicis cautum ac S. Sedis perpetuo systemate praefatis literis late demonstrato firmatum.

Et si unquam excipi contingeret, iisdem in Literis in exemplum per Nos adduci Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus et vicissim Graecos quosdam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppedit responsio, estque ejusmodi, id factum vel consecrarium fuisse immemorialis consuetudinis secumferentis famam concessi Apostolici privilegii, vel inductum ex privilegio Apostolico vero conceptoque, quarum quidem rerum, quod ad praesentem quaestionem attinet, nec species ulla, quin

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.)